DI TORINO
ECA

Benvenuti.

PROVINCIA DI TORINO
BIBLIOTECA
R c 293

Paul Kristeller
IV. 1903

Woltmann: Ambrosius Holbein 10
(Passavant: Hans Holbein 108)
Morus Geschmack 1517 Basel Petri

B. de San Giorgio

DE ORIGINE GVELPHORVM, ET GIBELLINORVM, QVIBVS OLIM GERMANIA, NVNC ITALIA EXARDET, LIBELLVS ERVDITVS.

In quo oſtenditur, quantum hac in re Clariſs. ſcriptores, Bartholus, Panormitanus, Blondus, Platina, & Georgius Merula Alexandrinus, à ueritate aberrauerint.

ANDREAS CRATANDER STVDIOSIS.

Libellum hunc legendum exhibeo, propter hiſtoriam de Origine factionis inter Guelphos & Gibellinos, qua nunc Italia, ut olim Germania, deperditiſs. conflictatur. Vbi ſimul intelliges, quid nam in hac re ſcriptoribus magni nominis impoſuerit. Cæterum Latinæ linguæ proprietatem & mundum aliunde comparabis. Vale. Baſileæ, VII. Idus Ianuar. An. M. D. XIX.

P. 108 – W. (AH) 10.

VTRAQVE FA-
CTIO VNDE MANARIT, BENVENV-
tus de Sancto Georgio, & de Blandrate co-
mitibus, Eq. Hieroſolymitanus, Illuſtriſſi-
mo & excellentiſs. Principi, Domino
Gulielmo octauo, Marchioni
Montisferrati, D. ſuo ſin-
gulariſsimo ſigni-
ficat.

CVM de factionum origine, quæ duobus innixa nominibus, hominū animos in diuerſa trahunt ſtudia, in Curialium tuorum corona quandoq; ſermo incidiſſet, Princeps illuſtriſs. audiui quoſdā Bartholi Saxoferrati, Imperialiū legum enucleatoris præcipui, ex tractatu, quē de Guelphis & Gibellinis ædidiſſe fertur, Alios Nicolai Siculi, abbatis Panormitani, Pontificij iuris interpretis probatiſſimi, Alios Blondi Flauij Foroliuienſis, hiſtoriarū ab inclinatione Romani Imperij euigilatoris exactiſſimi, Nonnullos Platinæ, Ieſu Chriſti, & Pontificū actionum ad ſua uſq; tempora ſcriptoris lucidiſſimi, ac Georgij Merulæ Alexandrini, ex corui nido aquilam educere conantis, uiri alioquin eloquentiæ nidorem aſſecuti, autoritatibus inniti. Aliquos uero, prout uniuſcuiuſq; ferebat, diuerſa cōfingere, ueri tamen uix nihil afferre. Quapropter operæprecium ſum ratus, quid in hoc compertū habeam palam facere.

AGENTE ITAQVE ME IN Colonia Agrippina, Batauorum inferioris Germaniæ urbe, apud Maximilianū Cæſarem, illuſtriſſimi quondam genitoris

tui iuſſu, legationis munus, præſtātiſſimus eques, & utriuſque cenſuræ doctor, dominus Marcoaldus Breyſach, uir à ſecretis Cæſareis admodum gratus, ob mutuam familiaritatem uiſendi gratia me adijt. Cumq́; ociantē compeiſſet, de ipſius urbis præſtantia, de bellorum apud Inſubres ab Frederico primo geſtorum, deq́; trium magorum corporibus in ea urbe, ex Mediolano tranſlatorum, mecū uerba facere cœpit. Poſtero uero die, Ottonis Friſigenſis Epiſcopi, de ipſius Frederici geſtis hiſtoriæ libellū ad me miſit, quo ex ipſius lectione oblectamenti aliquid conciperem, atq́; eorum qui pridie occurrerant ſermonum ueritatem cognoſcerem. Contigit autem, quod cum legendo eo detinerer, aperte didicerim, quantum Bartholus, qui in eo tantum probandus eſt, quod Fredericum Primum, ex gente Gibella, à qua Gibellini ſunt cognominati, originē duxiſſe ſcripſit, alterius autem neſcius, quædam ex ſacris libris meditatus eſt. Quantum Nicolaus Siculus, in cap. Piſanis & Lucanis ciuibus, ſub rubrica, de reſtitutiōe ſpoliatorum in antiquis, qui eam diſcordiam, quæ aliquandiu ipſas ambas urbes, Piſas uidelicet & Lucā, Gregorio Nono Pontificatum, & Frederico Secundo Imperium tenentibus, acriter uexauit, horum exitialium nominum altricē extitiſſe affirmauit. Quantum Blondus & Platina, qui & hiſdē tēporibus apud Piſtorienſes ea primū audita fuiſſe cenſent, cum duo Teutonici fratres, Guelph & Gibel, alter Cancellarijs, alter Panciaticis diſſidentibus fauiſſent. Quantum poſtremo Georgius Merula, ab his non diſſentiens, & quædam inſuper ex Liuio meditatus, quæ ſtatim dicentur, cum Merula ipſa cantabit (nam prodire omnes in aciem iuſſi ſunt) errauerint. Et quidem in primis Bartholus, cuius hæc ſunt uerba.

CIrca primum ſciendum eſt, quod olim magna diſcordia orta fuit inter Romanam eccleſiam, & Fredericum, qui uocatus eſt Fredericus Barbaroſſa, Romanorū

Imperator

Imperator, à quo cum in eccleſiaſtica deuotione perſiſteret, aliquas leges habemus, ut patet in uſibus feudorum, quem poſtea eccleſia priuauit imperio, ut in cap. Fundamenta. & in Alemania agnatio illius Frederici cognominabantur Domini de Gebello. Alij uero adhæſerũt eccleſiæ, & uocati ſunt Guelphi, quaſi zelatores fidei. De prædictis habemus figuram. I. Regum. ult. cap. & .II. Reg. I. cap. in princi. ubi fuit conflictus & occiſio in monte Gebello, qui interpretatur locus fortitudinis. Ita ille Fredericus Imperator, quoniã tunc reprobatus, confidens de fortitudine domus ſuæ de Gebello, conflictus, & confuſus fuit à Guelphis, hoc eſt, à zelatoribus fidei. Hoc enim nomen Guelphi, habetur Geneſis. XXX. ca. & interpretatur os loquens, quod in propoſito eccleſiæ congruit. Verbo enim excõmunicationis ſententiæ prolatæ per ſummum Pontificem, fuit ille Imperator confuſus. Proprie ergo loquẽdo, ſicut Gebellus interpretatur locus fortitudinis, ita Gebellini interpretantur cõfidentes in fortitudine, ſcilicet temporali militum & armorum. Et ſicut Guelpha interpretatur os loquens, ita Guelphi interpretantur confidentes orationibus, & in diuinis, ſicut faciebat Iuſtinianus imperator. C. de ueteri iure enu. l. prima, in principio.

NIcolaus Siculus, Abbas Panormitanus, in enodatione uariarum interpretationũ, enucleationumq́; Decretalis, Piſanis & Lucanis ciuibus, ſic inquit. Deciſio huius capituli uiſa fuit aliquibus adeo difficilis, ut neſcientes eam aliter ſaluare de iure, dixerunt Papam Gregorium hic partialiter proceſſiſſe, fauẽdo Lucanis, qui adhæſerunt eccleſiæ contra Piſanos, qui adhærebant Imperatori Frederico contra eccleſiam. Quo tempore inceperunt partes in Italia, & adhærentes Imperatori dicti ſunt Gibellini, adhærentes uero eccleſiæ, dicti ſunt Guelphi, ut ſentit hic Ioannes Andreæ. & de hac diſcordia uide in cap. ad apoſtolicæ, de re iudi. lib. ſexto.

SVccedunt Blondi uerba. At Fredericus aliquot interea menſes Piſis egerat. De qua urbe, diſcordijs contentionibusq́ omnem repleuit, infecitq́ Ethruriam. Singulas enim ciuitates, ſingula oppida pertentans, qui ſuas, qui Pontificis Romani ſequerentur partes, uoluit intelligere. Piſanis, quos uel Genuenſium, Venetorumq́ odio ſibi omnino deditos nouerat, ſtatum aſſerere maximũ adnixus, ut eſſent, ſe abſente, à quibus præſidia Romani Imperij in Ethruria, à quibus directiones gerendis rebus, à quibus cõſilia peterentur. Fueruntq́ Lucæ, quã primam de itinere ciuitatem adijt. Fuerunt Florentiæ, Piſtorij, Volaterris, Aretij, atq́ Miniati, quos ſiue deprimendi cõciues ſuos libido, ſiue temeritas, in notorias Frederici aduerſus eccleſiæ, ac ſolitæ quietis prouinciæ ſtudioſos, partẽ factionemq́ ſeduxit. Serpſitq́ adeo longe & late id malum, omnem Ethruriam breui infecturum, ut nulla ciuitas, nullum oppidũ, nullus populus ea labe pernicioſiſſima manſerit intactus. Florentini tamẽ, præter admodum paucos, & ipſos nobiles, maiore fuerũt conſtantia, ut quietem, ac propemodum libertatem, florentibus Romanorũ Pontificum rebus, conſuetam pro uiribus cõſeruarent. Et cum Fredericus urbem ipſam memorans Imperij iurium eſſe, eam in ſuis partibus teneri contenderet, auſam illi fauere nobilitatem omnem populus per arma Florentinus eiecit. Eam itaq́ ciuitatem ſæpe pertentatam, Fredericus cũ precibus, pollicitationibusq́ nequiret, armis territam, in ſententiam perducere eſt adnixus, præſidio ex Germanis, Saracenisq́ ſingulis partium ſuarum dato, cuius fauore cõtraria ſentientes exterminarentur. Primiq́ omniũ Piſtorienſes, Cancellarij (id eſt familiæ nomen) Panzaticos eiecerunt, Volaterrani deinde, poſt Miniatenſes, Aretini, & Lucenſes, ſcelus in conciues, conſanguineosq́ admiſere. In multis em̃, ac penè in omnibus populis, eò tunc dementiæ impietatisq́ proceſſum eſt, ut quẽ pater filiũ, frater'ue

ſratrem uideret cõtraria ſentientem, pelli patria ſit paſſus, aut confodi repugnantem. Quo infortunio cũ ſola caruerit Sena, in aliud maius ſeipſam præcipitauit. Amicitia nanq; Piſanorũ, uel potius odio faciente Florentinorũ, Senenſes nedum Frederici partes ſunt ſecuti, ſed illi ſeſe per fœdera ſubiecerunt, Pariterq; Peruſinorum odio Aretini. Factumq; eſt ſtupenda celeritate, ut ſtudia partiũ, factionesq;, & populorũ ſectiones, per omnẽ Ethruriam planè dinoſcerentur. Cui infectioni à Frederico, ut diximus, diſſeminatæ, nomina quoq;, aut ipſe, aut ex ſuis Germanis aliqui indidere. Verbo enim, quod certe Germanũ eſt, ſtudioſos eccleſiæ Guelphos, & imperatoriæ factionis Gibellinos placuit appellari. Faciliterq; adducor, ut credam Ptolomeo Lucenſi Epiſcopo, qui paulò poſt ea tempora ſcripſit ea infauſta rebus Italiæ nomina, primũ apud Piſtoriũ fuiſſe audita, quæ paulopoſt omnẽ Italiam, præter unicã urbem Venetam infecere. Tantaq; rabie, ducentis, & eo amplius annis, ad hæc uſq; tempora, ſub infauſto eorum nominũ titulo ſæuitum eſt, ut peiora inter ſeipſos ſcelera quandoq; Itali cõmiſerint ijs, quæ à Barbaris iam ceſſantibus fuerant perpeſſi. Vrbs enim in urbem popular iter, prouincia in prouinciam, populi pars in alteram, nulla impellente alia quàm harũ partiũ cauſa, geſſere bella, quorũ nullus uictoriæ finis, nullus modus, niſi in ſanguinis effuſione & exterminio eſt petitus. Nec uicini inter ſe cohabitantesq;, ſolum ea debacchati ſunt infamia, atq; impietate, ſed quingentis ſeiuncti paſſuũ millibus, pauperes, egeni, æque ac diuites, & factioſi, cum forte obuij fierent, nepharia inuicem concuſſerunt. Non modo eñ diuiſa ſunt inſignia in prælijs præferenda, ſed colores, terræ fructus, ueſtitus, habitus ipſe, hominis inceſſus, digitorũ cõcrepitus, & oris hiatus, ſuã habuere partiũ ſignificationẽ. Brixiani, Bergomẽſesq;, apud quos ea maxime inualuit calamitas, allium, cuius apud eorũ plebẽ plurimus eſt uſus, quo ſcindas modo, plurimũ à ratione partiũ exiſtimant intereſſe.

Auditũq; aliqñ exhorrui, fuiſſe in Bergomenſiũ mõtibus qui aduenas ex Calabris Apulis'ue, aut Ethruſcis uiatores, in hoſpitium receptos, allium, quod ſuo ipſius hoſpitis iudicio, in nucleos natura diſtinctos diuidi oportuit, gladio ſcindentes, tanq; diuerſarũ partium interfecerit.

PLatina Blondi cõtemporaneus, in Gregorio nono ita ſcripſit. At uero Imꝑator, qui tũc Piſis erat, cũ nõ ſatis ſibi cõſtaret, qui partes ſuas, qui'ue Põtificis ſequerent̃, ciuitates Italiæ in duas factiones, tum primũ diuiſit, Nam qui Põtifici fauebant, Guelphi, qui'ue Imperatori, Gibellini appellati ſunt. Hæc quidẽ teterrimarũ factionũ nomina ad perniciẽ humani generis inuenta, primũ apud Piſtorieſes audita ſunt, cũ Cãcellarij Panzaticos Gibellinos ab urbe eiecissent, cũq; alteri factiõi Guelph, alteri Gibel Teutonici fratres fauerit, unde tantæ ꝑniciei noĩa indita ſunt. Florentini præterea nobiles ſuos, Piſanis Gibellinarũ partiũ fauentes, in exiliũ eijciunt, pellunt & Guelphos uiciſſim ab urbe ſua. Aretini & Seneſes, quorũ exẽpla multæ ciuitates Italię ſecutę, bella plusq; ciuilia inter ſe cõmiſere.

REferunt nũc recẽtioris Georgij Merulæ Alexãdrini ſcripta. Hæc aũt peſtis, & ꝑtinax hic animorũ habitꝰ ab Ethruſcis primũ cœpit. Gens ea ſeditionibus & domeſticis armis iam inde agitata, ex quo Romanus populus bella in Ethruria fecit. Scribit Liuius in Decimo ab urbe condita, Ethruſcos ab Aretinorũ ſeditionũ exorto motu de rebellione cogitaſſe. Tunc Aretio genus Liciniũ præpotẽs, ob diuitiarum inuidiam, armis populariũ patria eiectum fuit. Neq; Ethruria ipſa prius ab Romano dictatore parari, Aretinorumq; ſeditiones componi potuere, quàm gens Licinia cum plebe in gratiam reducta fuit. Sed Piſtorij poſt mille & quingentos fermè annos, Cancellarij & Panciatici auſpicatiora in cladem Italiæ ſeminaria (quod equidem nollem) diſſenſionum, & ciuilium armorũ dedere. Quo furore Volaterrani, Miniatenſes, Aretini, & Lucenſes acti, qui contraria ſenſiſſent, eos patria eiecere.

eiecere. Tum præimpotenti ira efferati, & uicinorum, cognatorumq́ꝫ ſanguine ſemel inquinati, nulli ætati parcentes, domos ad ſolum diruerunt. Nihil non tam crudele & atrox erat, quod ad internitionem aduerſariorum non aggrederentur. Iam morbus per uniuerſam ſparſus Italiã dominabatur.

HACTENVS eorũ ſententias recenſui, qui utriuſqꝫ factionis initia nouiſſe ſibi uiſi ſunt, quiqꝫ neſcij quo pedem figerent, aut ex ſacris libris, aut ex Romanis hiſtorijs, ut ſcriptis ſuis autoritatem adderent, longo aucupio quæſitis, parum religioſum mutuum ſumpſerunt. Nunc autem ſupereſt, ut inſtitutum negocium certis præſcriptũ limitibus, & repertæ originis ueritatem indicet, & aliorũ ſcripta omnino non euertat. Et quidem, ſi duplicem ortũ factionibus ipſis dederimus, & ad ſecundum, qui inter Gregorium Nonum, & Fredericum Secundum, non autem Fredericũ Primum, ut opinatus eſt Bartholus, diſcordia uigẽte, geſtum eſt bellum, reſpexeris, Bartholũ ipſum ueritatis nonnihil, Blondum & Platinam plurimum, Georgium uero Merulam minimum attigiſſe deprehendes. Verum ſi ad primæuam originem perquiſitionis aciem direxeris, præter Ottonem Friſigenſem Epiſcopum, cuius ſupra recolui, eos omnes parum ſcita locutos fuiſſe fatendum erit. Inquit itaqꝫ ſic.

ANno ab urbe condita. M. DCCC. ab incarnatione uero domini. M. C. LIIII. decedente ab hac luce uernali tẽpore. XV. Calend. Martij, id eſt, ſexta feria proxima, ut dictum eſt, poſt caput ieiunij, in ciuitate Bambergenſi, pijſſimo Conrado, in Calend. Martij, id eſt, tertia feria poſt Oculi, in oppido Franchfordienſi, de tam immenſa Tranſalpini regni latitudine, uniuerſum; mirum dictu, Principum robur, non ſine quibuſdã ex Italia Baronibus, quos tanquam in unum corpus coadunare potuit, conuenere. Vbi cũ de eligendo Principe primates conſultarent,

Nam

Nã id iuris Romani Imperij apex habet, uidelicet ut non per ſanguinis propagationẽ deſcẽdentes, ſed per Principũ electiones, Reges creentur, quod tanquam ex ſingulari ſibi uendicat prærogatiua. Tandem ab omnibus Fredericus, Sueuorũ dux, Frederici Ducis filius petitur, cunctorũque fauore in Regem ſublimatur. Cuius conſultationis in ſuam illam perſonam tam unanimis aſſenſus, ratio hæc, ut recolo, fuit.

DVæ in Romano orbe apud Galliæ, Germaniæ'ue fines, famoſæ hactenus fuerunt familiæ, una Henricorum de Guibelinga, alia Guelphorum de Aldulfio, altera Imperatores, altera magnos Duces producere ſolita. Iſtæ ut inter uiros magnos gloriæque auidos aſſolet fieri, frequẽter ſeſe inuicem æmulantes, Reipublicæ quietem multotiens perturbarunt. Nutu uero dei, ut creditur, paci populi ſui in poſterum prouidentis, ſub Henrico quinto factũ eſt, ut Fredericus dux pater huius, qui de altera, ſcilicet de Regum familia deſcenderat, de altera, ſcilicet Noricorum ducis filiam in uxorem acciperet, ex eaque Fredericum, qui in præſentiarum eſt, generaret. Principes ergo non ſolum induſtriam iam ſæpedicti iuuenis, ſed etiã hoc, quod utriuſque ſanguinis conſors, tanquam angularis lapis, utrorũque horum parietum diſſidentiam unire poſſet conſyderantes, caput regni eum conſtituere adiudicarunt, plurimũ Reip. profuturum recogitantes, ſi tam grauis, & diutinæ inter maximos Imperij uiros, ob priuatum emolumentũ ſimultates, hac demum occaſione, Deo cooperante, ſopirentur. Ita non Regis Conradi zelo, ſed uniuerſitatis, ut dictũ eſt, boni intuitu, hunc Fredericum eius filio etiam Frederico adhuc paruulo præponere maluerunt. Hac conſyderatione, & ordine electio Frederici celebrata eſt.

SVperioris Ottonis, Friſigenſis Epiſcopi uerba palàm faciunt, tam peſtiferam tabem, eaque infauſta nomina, quæ infecerũt, inficiuntque Italiam, priſcis temporibus Germaniæ

maniæ populos, tum diu multumq́ exagitaſſe, & maximis calamitatibus affeciſſe, cum inter Sueuiæ, Bauariæq́ Duces, quorum ditiones Licus fluuius diſterminat, ſiue ob æmulationem de primatu, ſiue de agro cõtenderetur, alijs Sueuiæ, qui Henrici de Guibelinga, alijs Bauariæ ducum, qui Guelphi de Adulfio cognominabantur, partes ſequentibus. Quonam autẽ modo, quáue ætate, ea exitialis lues, relictis Germanis ipſis, in Italiam trãſmigrauerit, tantamq́ animorũ ſectionem pepererit, ex qua bella plus quàm ciuilia emerſerunt, præter ea quæ ſupra cõmemini, Blondi hiſtoria quẽcunq́ noſcendi cupidum domi abunde ſaturabit. Mihi autem quod ſum pollicitus, abſoluiſſe ſit ſatis.

FINIS.

BASILEAE, APVD ANDREAM CRATANDRVM.
MENSE IANVARIO, ANNO
M. D. XIX.

86025

AM 30/2003

PROVIN
BI
2